Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1483
Quelle:
Copyright:

modi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus. *Id unum obiter moneo, inter omnes Heterodoxos sui ipsorum amantes, et qui ἀεροβατοῦσι (ut Aristophaneo verbo utar) neminem esse, qui levius, aut facilius, aut inanius sibi somnia fingat.* Accessiones aliae aut nova argumenta ad stabilienda Adserta continent, aut recentioribus Adversariis occurrunt. *Prolegomenis Tomi* II. ita auctis succedunt in Codice *Addenda quaedam et corrigenda in hoc Tomo II. editionis Salmanticensis, et prioris Romanae.* En novum Argumentum, *Laciniam* hanc tertiae Editioni, id est, *Romanae secundae* destinatam fuisse. Pertinent vero haec *Addenda*, inter quae etiam aliqua Corrigenda sunt, ad *Pagg.* 54. 59. 64. 65. 67. 122. 490. 681. 691. et 785. quas cum in edit. *Rom.* contulissem *Mspto*, reipsa omnia haec deesse comperi. *Addendis* subjunxit, nescio cur, Librarius Elogium *D. Augustini* ad verbum descriptum ex edit. *Rom. prioris* T. III. item e T. I. ea, quae in *Admonitionibus* praemisit *Aguirrius* de editis a se Libris, ab iis verbis: *Quoniam autem accidere potest, ut ante conclusam* &c. Hujus vero adparet ratio; ad modum enim *Retractationum Augustinianarum* Vir pius et modestus iis partim inseruit quaedam, partim ad finem adjecit, quae mihi visa sunt cum Lectoribus communicanda. Et quidem ad *Philosophiam* suam *Nov — Antiquam* addidit: *In toto isto opere solum displicet mihi modo nimia illa subtilitas, qua saepe usus fui in rebus philosophicis dialecticis et metaphysicis, sive tandem in Cursu philosophico. Vix enim in iis aliquid utilitatis invenio aut detego, nisi solam exercitationem ingenii, ad quod deservire possit, circa studia gravioris momenti, aut sacrae Theologiae vel studiorum moralium. Haec dixerim modo in hac devexa aetate, praesertim habita ratione status monastici, ad quem non spectat docere, aut docuisse, nisi solidiora et quodammodo opportuna ad salutem veram et profectum lectorum. Hanc itaque Praemonitionem quasi Testamento meo ultimo consignatam habeant quaeso ob oculos pii Lectores mei, praesertim Benedictinae Regulae Professores.* Ignorarunt hanc Praemonitionem *Campidonenses*, qui 1722. *Disputationes* ex hoc Opere *selectas* f. ediderunt. Ad *Theologiam S. Anselmi* post adagium: Δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι addidit: *Juxta quod semper detestatus fui quinque illa Dogmata Janseniana in sensu obvio.* Ad *Defensionem Cathedrae S. Petri* a verbis: *Nullum hactenus Volumen* &c. omisit omnia; tacet etiam de edendo T. IV. *Theologiae S. Anselmi.* Denique a *Collectione Conciliorum Hispaniae* totus deinceps Textus noster abit ab Editis. Ibi enim Collectio haec inter *Tomos nondum editos* nuntiatur, hic ut *Romae IV. Tomis* 1694. f. edita describitur. Ibi nulla *Bibliothecae Hispanae Veteris Nic. Antonii* mentio, hic ejus descriptio et laus cum addito: *Quare propriis expensis ac solicitudine*

prelo